INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ALBERTINA

FRIDERICO GUILIELMO

HEREDE MONARCHIAE

ACADEMIAE ALBERTINAE RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PER AESTATEM

ANNO MDCCCLXIX A. D. XII APRILIS

P. P. O.

INSTITUENDARUM.



Praefatus est L. Friedlaender de titulo latino in pyramide Aegyptiaca insculpto

---

Regimonti.

Typis Academicis Dalkowskianis.

ACADEMIAE ALBERTINAE PRORECTOR

Dr. JO. THEOD. SCHIRMER.

IVRIS UTR. DR. P. P. O.

Prooemium.

Itinerarium Ottonis de Neuhaus, viri nobilis Lueneburgensis, qui etiam Guilielmus de Boldensele vocitatus est, quo iter a. p. C. 1336 in terram Sanctam factum descripsit, post Canisium et Basnagium denuo edidit C. L. Grotefend, libro mscr. potissimum Guelferbytano usus (Zeitschr. d. histor. Vereins f. Niedersachsen 1852. p. 209 sqq.). Ibi quum multa alia emendatiora leguntur quam in editionibus antiquioribus, tum titulus ille latinus quem G. d. B. in superficie lapidea illo tempore unius pyramidum Aegyptiacarum gradus vestiente insculptum vidit et descripsit (cf. Letronne Recueil des inscriptions Grecques et Latines de l'Egypte pag. 516 sqq.) hoc modo:

Vidi pyramidas sine te, dulcissime frater,
Et tibi, quod potui, lacrimas hic moesta profudi,
Et nostri memorem luctus hanc sculpo querelam.
Sit nomen Decimi Cetianni pyramide alta
Pontificis comitisque tuis, Trajane, triumphis
Lustra sex intra censoris consulis esse.

ubi is qui hoc itinerarium germanice vertit, adnotavit: Desse versch dude eyn wys man, de se vorstat.

Eundem titulum descripsit frater Felix Fabri, monachus de conventu Praedicatorum Ulmensi, qui duo itinera in terram Sanctam fecit a. 1480 et 1483, quorum illud breviter enarravit, hoc copiosissime. Edidit autem Fratris Felicis Fabri Evagatorium in terrae Sanctae, Arabiae et Egypti peregrinationem C. D. Hassler gymnasii Ulmani professor in collectionis inscriptae Bibliothek des litterarischen Vereins in Stuttgart voluminibus II — IV. In ejus Evagatorio v. III (quod est collectionis vol. IV) p. 43 leguntur haec:

„Sunt autem duae pyramides valde eminentes, mirae magnitudinis et latitudinis, sicut montes, ita quod a longe visae apparent turres esse. In his invenimus diversas litteras et scripturas nobis ignotas, in uno tamen latere hos subscriptos invenimus versus, insculptos latinis litteris et scriptura“:

Sequitur apographum tituli, quod his locis ab illo discrepat: V. 1: pyramides, V. 3: memoriam, V. 4: centanni et pyramis, V. 5: tyranne, V. 6: inter. Praeterea in clausulis versuum litterae singulares appositae sunt hae: R, J, M, A, S, S.

In versu extremo ubi censoris recte habere non potest, Otto Hirschfeldius feliciter, nisi fallor, vidit in CENSORIS CONSVLIS latere BIS CONSVLIS. Quo invento eo ducimur, ut trium ultimorum versuum sententiam hanc esse putemus: eum, qui aliquando pontifex et comes Trajani fuerit, nunc triginta annorum spatio interjecto, bis consulem esse. Quod si verum est, primum apparet, v. 4 Grotefendium recte conjecisse scit pro sit, et praeferendam esse lectionem monachi Ulmensis pyramis Boldenselianae pyramide. Sensus est: scire ejus nomen pyramidem altam, quod fortasse non modo v. 4 indicatum, sed etiam infra vel supra titulum insculptum erat.

Quomodo autem prior pars versus ultimi constituenda sit, incertum est. Quodsi nostra explicatio probabilis est, apparet desiderari: lustris sex interjectis vel tale quid. Fortasse fuit: lustris sex intercursis, quamquam ante Ammianum qui XV 10, 10 intercurso spatio maris haud longo scripsit, neminem scio qui ita locutus sit. Praeterea autem requiri necessario infinitivum esse apparet. Quamquam litterae singulares in apographo Ulmensi appositae quinquies finales extremorum vocabulorum litteras iterant; quod si etiam hic factum est, esses in fine scriptum fuit, non esse. Sed illud S errore sive descriptoris sive sculptoris positum esse potest.

Eum autem ad quem hi versus spectant, cujus nomen v. 4 in utroque apographo corruptum est, (Cod. Guelferb. Itin. Boldensel. cētianni, ceteri Anni) Grotefendius l. l. p. 251, 2 Titianum esse suspicatur, qui a. 127 cum Gallicano consul fuit. Qui (si a triumpho Dacico altero a. 106 triginta annos computamus) ante annum 136 iterum consul (suffectus) fuisse potest; quo anno fortasse Hadrianus eum argui pssus est et proscribi (vit. Hadr. c. 15), ut Servianum eodem anno mori coegit (v. ib.). Ea fortasse causa lacrimarum luctusque sororis fuit. Sed eum T. Atilium appellatum esse demonstravit Marinius Atti p. 331 sq. Apud Almeloveen. Fast. p. 135 et 444. D. Caelius Titianus audit; qui quo auctore ei praenomen D. dederit, invenire non possum. Sed cognomen manifesto Panvinii errori debetur qui (Fast. ad a. DCCCLXXX) eum cum Caelio Attiano (vit. Hadriani c. 1) confudit, ubi in codd. tatianum vel tacianum est. Ceterum Titianus ex more illius aetatis duo praenomina habuisse potest.
